



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio quarta. Vtrum in correctione fraterna debeat secreta mentio
precedere denunciationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Quantum ad secundum dicendum est, quod omnes tenentur ad correctionem fraternam respectu omnium superiorum, inferiorum, & parium. Cuius ratio est, quia ad actum charitatis obligantur omnes qui tenentur habere charitatem & respectu omnium ad quos tenentur habere charitatem, quia quantum se extendit habitus tantum & actus, qui procedit ex habitu: sed omnes tenentur ad habendum charitatem & ad omnes pares, superiores, & inferiores, amicos, & inimicos, ergo omnes tenentur ad corrigendum quoscunque delinquentes, cum correctio sit actus virtutis: verum tamen quia actus virtutis debet esse interior matris debitis circumstantiis, ideo in correctione qua subditi corrigunt prelatos suos debet esse talis modus, ut non praedictetur honoris & reuerentiae prelationis: unde Apostolus, 1. ad Tim. 5. Seniores non increpaueris, sed obsecra, ut patre, & Dion. redarguit Demophilum monachum, quia sacerdotem & se maiorem correxerat irreuerenter eum percutiens, & ab ecclesia eiciens, in quo excessus non solum modum correctionis fraternae inferioris ad superiores, quia irreuerenter correxit, sed etiam modum correctionis fraternae, quia correxit non solum verbo, sed verbere, quam correctionem non habent nisi Praelati gerentes ex officio curam eorum quos corrigunt, fraternam autem correctionem habent omnes respectu omnium: unde Pelagius Papa dicit, & habetur. 24. quae. 3. Tam sacerdotes quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de illis qui perunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint ab ecclesia separentur. Et sic patet secundum.

DE tertio sciendum est, quod cum de correctione fraternam sit praecipuum affirmatiuum, quod non obligat nisi pro loco, & tempore, & caeteris circumstantiis debitis concurrentibus, inter quas praecipua est illa quae est de fine, ideo non semper obligatur homo ad correctionem fraternam, cuius ratio est. Quia illud ad quod nullus obligatur nisi propter finem non cadit sub praecipuo nisi quia licet est necessarium ad finem, sed ad correctionem fraternam nullus obligatur nisi propter emendationem fratris, ut patet tam ex eius definitione qua ex aliis praedictis, ergo ad eam nullus tenetur ex praecipuo nisi speretur quod ex correctione sequatur emendatio. Et iterum si expectatur opportunius tempus quo magis potest prodesse correctio, non peccat qui correctionem differt, sed charitatiue agit, sicut dicit Aug. 1. de ciui. Dei, cum ratio eorum quae sunt ad finem ex fine sumatur.

AD primum argumentum dicendum est quod omnia praecipua quae pertinent ad impendendum aliqua beneficia proximo reducuntur ad praecipuum de honoratio parentum: eis enim tanquam magis meritis primò impendenda sunt beneficia tam corporalia quam spiritualia, & deinde aliis: cum igitur correctio spiritualis sit beneficium impensum proximo, patet quod reducitur ad praecipuum de honore parentum.

Ad secundum dicendum, quod religiosi tenentur ad correctionem fraternam, sicut & caeteri, nec tamè propter hoc oportet quod exeant claustrum ad querendum delinquentes, ut eos corripiant: quia nec hoc praecipitur, sed sufficit quod corripiant occurrentem, unde dicit Aug. in libro de verbis Domini. Admonet nos Dominus nosster non negligere inuicem peccata nostra non querendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas, alioquin efficeremur exploratores vitae aliorum, contra illud quod dicitur Proverb. 24. Non quaeras impietatem in domo iusti, & non vases requiem eius.

An tertium dicendum, quod vel Hiero. loquitur de correctione quae fit non solum verbo, sed verbere (quod patet ex hoc quod subiungit, quae est enim misericordia parcere vni & omnes in discrimen adducere) quae competit solum prelati qui habent vim coactiuam super subditos quam non habet frater in fratrem: vel hoc dicit non quia ad solos sacerdotes pertineat praecipuum de correctione fraternam, sed quia ad eos specialius pertinet, quia sicut dicit Aug. 1. de ciui. Dei. Grauior est negligentia prelatorum in correctione fraternam quam aliorum, sicut enim beneficia temporalia potius debet aliquis illis impendere quorum curam temporalem habet, ita & beneficia spiri-

tualia (vt correctionem & doctrinam) magis debet exhibere illis qui sunt suae specialis curae commissi, licet alii ad hoc teneantur quantum non tantum, &c.

QUESTIO QUARTA.

Vtrum in correctione fraterna debeat secreta monitio praecedere denunciationem.

Tho. 2. 1. q. 33. art. 7.

Secundò quaeritur vtrum in correctione fraterna debeat secreta monitio praecedere denunciationem. Et videtur quod non: quia accusatio est grauior quam denuntiatio, sed ad publicam accusationem potest aliquis procedere nulla secreta admonitione praecedente, sed sola inscriptione, ut dicit Innocentius extra de accusatione, quia licet & quando, ergo videtur quod nec denunciationem debeat praecedere secreta admonitio.

Item secundum Aug. in libro contra mendacium. Ex factis sanctorum colligimus quid in scripturis sentire debeamus, sed Christus denunciauit Apostolis Iudam ante admonitionem factam, ut patet Ioan. 13. Similiter Petrus damnauit Ananiam & Saphiram ante aliquam admonitionem factam, ut patet Act. 5. Similiter Paulus reprehendit Petrum coram omnibus nulla monitione facta secreta, & eodem modo Ioseph accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo, Gen. 37. ergo videtur quod non semper secreta monitio debet praecedere denunciationem.

IN contrarium est quod dicit Dominus Mat. 18. si peccauerit in te frater tuus corripe eum inter te, & ipsum solum, &c. ubi manifestè innuit, quod secreta monitio debet praecedere denunciationem. Et ibi dicit glossa. hoc ordine vitare scandala debeamus.

RESPONSIO. Aduertendum est quod peccatum fratris potest esse vel omnino publicum & notorium, vel sic occultum quod probari non potest, nec de eo infamatus est, vel partim occultum, & partim notum, quod est quando innotescit pluribus per quos conuinci potest, vel apud graues personas diffamatus est quauis publica fama non sit. In primo casu dicendum quod secreta admonitio non habet locum. Cuius ratio est, quia cum admonitio secreta fiat propter emendationem fratris quae est eius sanatio spiritualis, sicut est in sanando aliquem corporaliter, sic facienda est in corripiendo aliquem spiritualiter, sed in sanatione corporali sic est quod dicitur medicus si potest hominem tota liter sanat ab infirmitate, si autem non potest negligit manus malum ut occurrat maiori malo, sicut amputat vnum membrum ne totum corpus inficiatur, ergo similiter debet esse in correctione quae est sanatio spiritualis: ex peccato autem homo duplex damnum incurrit, scilicet damnum innocentiae quod est maximum, & dispendium famae si sciat eius peccatum, & istud est minus quam primum. Est tamen magnum quia per amissionem famae homo patitur detrimentum non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus: quia praeter timorem infamiae multi a peccato retrahuntur. Et ideo sic sanandus est peccator per correctionem si fieri potest quod totaliter ei innocentia restituatur nec fama perdat, si aliter debet negligi fama ut conscientia reparatur. Ex quo potest sic argui: ubi iam est perditam fama non habet locum admonitio secreta, licet admonitio possit locum habere, sed quando peccatum alicuius est notorium iam est perditam fama, ergo hic non habet locum admonitio secreta. Si autem peccatum sit omnino occultum modo quo dictum est prius, aut illud non solum est nocuum peccanti, sed in detrimentum aliorum temporale vel spirituale, utpote cum aliquis tractat de prodenda ciuitate hostibus, vel quando latet haereticus innitens ad corruptionem fidei & morum in aliis, aut est solum nocuum peccanti. In primo casu si firmiter credatur quod peccator propter admonitionem secretam sibi factam desistat a malitia, omnino prius est admonendus antequam alii reueletur propter rationem prius dictam, scilicet ut parcatur fama cum emendatione conscientiae. Si autem probabiliter timeatur de emendatione eius, denunciandum est illi qui potest periculo occurrere, salua tamen fama eius quantum est possibile. Cuius ratio est, quia charitas plus diligit bonum commune quam bonum singularis personae.

personæ. Si ergo in hoc casu bonum commune non posset seruari nisi cum dispendio famæ singularis personæ, illud ex charitate est negligendum, ut bonum commune ex charitate possit seruari. Et sic est intelligenda autoritas Hier. dicens, quod misericordia est parcere vni, & multos in discrimen adducere. Polluitur enim populus ex vno peccatore, sicut ex vna oue morbida vniuersus grex. Si autem peccatum sit solum nocuum peccanti, nec sit ita notum quod possit probari, nec de eo sit peccator infamatus: tunc secreta monitio locum habet, quæ siue valeat, siue non sistendum est in ea, nec procedendum est ad aliquam denunciationem faciendam superiori vel superiori est & persona publica. Cuius ratio est, quia denuntiatio ad hoc fit superiori ut ipse de peccato inquirat & peccatorem corrigat, sed ad hoc non potest Prælati procedere nisi peccatum illud possit probari, vel peccator sit de eo infamatus, ergo ubi nevrū istorum est, locum non habet denuntiatio: si autem dicatur quod denuntiatio non habet hic locum ut fiat immediate post admonitionem secretam, potest tamen habere locum ut fiat mediante inductione testium, ut Dominus videtur dicere Mat. 18. Si te non audierit adhibe tecum vnū vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium, &c. non valet quia inductio testium vel sit ad probandum factum, vel ad probandum admonitionem: non ad probandum factum, quia aut ad probandum præteritū, aut ad obseruandum futurum: ut probetur factū præteritum probari non potest per eos, quia nihil sciunt, futurum vero obseruari non debet vel saltem nullus ad hoc tenetur, sicut allegatur est de Aug. supra qu. præc. quod non tenemur esse exploratores vite alienæ. Et si probabiliter crederetur quod peccatum esset iterandum, magis esset secundum charitatem statim indicandum illi qui posset impedire quod inducere testes ad conuincendum eum post factum: nec potest dici quod testes debeant induci ad probandum admonitionem ut eis inductis postea sequatur denuntiatio, quia talis inductio sine fructu esset, cum per eam non posset sequi correctio peccatoris, magis etiam esset proditio criminis quæ correctio peccantis. Quod autem non possit sequi correctio patet, quia in nullo probatur crimine, quia vox omnium non est nisi vox vnus. Item denunciatio exponit se periculo, quia si peccator neget crimen potest cõqueri superiori de eo quod denunciatio eum infamauit imponendo coram pluribus criminem quod non commisit, & sic alter merito puniretur. Videtur ergo quod in hoc casu sistendum sit in monitione secreta, sic quod nunquam sit vltterius procedendum ad denunciationem faciendam Prælati ut est persona publica: quod dico pro tanto, quia si probabiliter credatur quod Prælati ut bonus vir & non ut iudex posset prodesse peccatori & non obesse vel per secretam admonitionem, vel prælati dendo occasionem peccandi sine reuelatione peccatoris, potest ei in secreto dici peccatum fratris ut adhibeat remedium quod poterit adhibere, & eodem modo potest dici alii non prælati si crederetur quod velle & posset alteri prodesse. Et hoc est quod dicit beatus Aug. super Leuit. 5. capitulo, super illo verbo: Qui audierit aliquem falsum iurare & rater, &c. Et recitatur. 22. q. 6. ca. Hoc videtur, ubi dicit sic: Videtur mihi quod de hoc soluat peccati vinculo ille supple qui scit periculum alterius, si indicet talibus qui magis possent prodesse quam obesse perituro siue eum corrigendo, siue Deum pro eo placando.

Si autem peccatum non sit omnino occultum, nec omnino notum, hoc est quod innotescit pluribus per quos conuincitur potest, vel apud graues personas diffamatus est quæuis publica fama non fit contra eum, sic videtur habere locum processus quæ Dominus ponit in Euangelio, ut scilicet primo secretè admoneatur de correctione, quæ si non proficit admoneatur de correctione coram illis qui factum sciunt, quod si nec istud proficit tunc deinde denunciandum est ecclesie. Et ratio huius est, quia ex charitate subueniendum est conscientie quantum possibile est absque detrimento famæ: sicut ergo ex præcepto charitatis tenetur quis sanare fratris conscientiam non ledendo in aliquo eius famam si hoc potest fieri per aliquam secretam admonitionem quando peccatum est penitus occultum, sic quando non potest emendari conscientia seruando totaliter famam quæ iam apud aliquos læsa est, subueniendum est ex charitate emendationi conscientie absque vltteriori læsione famæ, quod fit

per admonitionem quæ fit coram testibus qui aliam sciunt factam. Et hi inducuntur non ad sciendum factum cum prius scirent, sed ut coram ipsis efficacior sit correctio, & ut probetur correctio si contingat ad publicam denunciationem procedere, ne denunciatio repellatur a denunciatione tanquam inimicus vel suspectus.

His tamen quæ prius dicta sunt videtur obuiare quod dicit beatus Aug. in regula, ubi innuit, quod qui non corrigitur per secretam admonitionem fratris, denunciandus est prælati non tanquam publicæ personæ, sed tanquam ei qui vult prodesse & non obesse. Et in hoc bene cõcordat cum secundo membro præcedentis determinationis: sed vltterius dicit, quod negantem adhibendi sunt alii etiam coram omnibus ut possit non ab vno teste argui, sed a duobus, vel tribus conuinci. In quo videtur innuere quod testes inducendi sunt ad explorandum peccatum futurum, ut per eos conuincatur coram prælati, quod est contra prius dicta. Sed aduertendum est quod Aug. non videtur loqui de eo quod est crimen secundum se, sed de eo quod potest esse occasio criminis, ut est aspectus fixus in mulierem de quo ibi loquitur, nec ad hoc explorandum dicit testes induci, sed si contingat iterari & præsentibus sint aliqui qui forte non aduertunt, inducendi sunt, ut aduertant & sic testimonium ferant, ut talis possit ad prælati debita feruoritate cõrecti, ne labatur in crimen cuius iam habet occasionem, & ad quod habet pronitatem: non loquitur autem de crimine iam commisso, quod si sit occultum debeat aliis reuelari, vel conuincendum debeat explorari, & ita non est contra prædeterminata.

AD primum arg. in oppositum dicendum, quod sicur aliqui dicunt, in accusatione non agitur ad emendationem delinquentis, sed ad bonum commune, scilicet ad conseruandum iustitiam per punitionem delinquentis. Et ideo accusatio in iudicio potest fieri etiam si admonitio non præcedit: nec est contra præceptum domini quod intelligitur quando agitur ad emendationem delinquentis. Aliis videtur quod quantum secundum forum causarum non requiratur quod præcedat admonitio, sed solum inscriptio, tamen secundum forum conscientie non est ad eam procedendum nisi admonitione præmissa, & emendatione expectata, si speretur propter rationem prius positam: nec cogit ratio alterius partis, quia bonum commune non est læsum per peccatum alicuius quousque deductum est in publicum. Et ideo si admoneatur de correctione antequam crimen eius publicetur per accusationem, fit secundum charitatem. Si autem non premitur admonitio ad eum correctionem, peruertitur ordo charitatis, quia iniuste dimittitur charitativa emendatio fratris.

Ad secundum dicendum quod Christus ut Deus non uerat Iuda non incorrigibilem, & ideo non oportuit quod adueneret eum secretè, quod fit propter correctionem. Petrus autem publicauit peccatum Ananiæ & Saphiræ eadem rationem cum sciret hoc per sancti spiritus reuelationem, & infixit eis tanquam incorrigibilibus penam ad terrorem aliorum. De Paulo autem patet respositio: quia Petrus coram omnibus peccauit, & ideo oportuit ipsum coram omnibus redargui iuxta illud Tim. 5. Peccantem coram omnibus argue. Ioseph autem præmonuit fratres, licet non legatur, vel si prætermisit errauit: licet posset propter defectum ætatis aliquantulum excusari saltem a tanto. Alii excusant eum dicentes, quod ipse non denunciavit, sed accusauit sicut textus dixit quod accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo: non est autem necesse quod accusationem præcedat fraterna admonitio. Sed istud minus valet, quia accusans si deficiat in probatione debet puniri pena talionis. Si uero probet, accusatus debet puniri secundum quantum & qualitate criminis, quodrum neutrum legitur ibi factum. Nec oportet quod nomen accusationis sumatur ita strictè, sicut sumunt iuristi: sed pro quacumque reuelatione seu declaratione criminis: nec est conandum ad excusandum omnia facta antiquorum qui in multis errauerunt.

Sententia huius distinctionis. X X.

in generali & speciali.

Sciendum est, &c. Superius determinauit Magister de penitentia & eius partibus, & de potestate ministrorum hoc sacramentum dispensantium: hic determinat